


h. 101. II.

(X2019422)

De Redonibus Scho
frberg



QVOD JESUS BENE VORTAT!
ACTUM DECLAMATORIUM
IN LYCEO FREIBERGENSI
HABENDUM
INDICIT
RECTOR. (*Nic. Grefius*)

Stanno Beutheriano.

129

32

URBIS
FREIBERGÆ
PROCERIBUS,
VIRIS

PLURIMUM-REVERENDIS,
EXCELLENTISSIMIS,
AMPLISSIMIS,
CONSULTISSIMIS,
CLARISSIMIS,
PRUDENTISSIMIS,
EXIMIIS,
PRÆSTANTISSIMIS,

EPHORIS LYCEI MERITISSIMIS,
PATRONIS LITERARUM OPTIMIS,

FAUTORIBUS CANDIDIS,
AMICIS REDAMANDIS,
OBSERVANTIAM,
OFFICIA,
AMOREM,

ET
STRENÆ LOCO
JESUM!

Mblematicam Sapientiam licet Germani, itemq; Itali & Galli certatim superioribus ac nostris temporibus exercuerint, reliquis tam & intentionum acumine, & enodationum artificio, & judicii acrimoniâ palmam quasi præripere videtur Vir Illustris, utrinq; scriptis & actis æternum commemorabilis, DIDACUS SAAVEDRA FAXARDUS, verus Hispaniarum Regis ad maximos Europæ Principes & Respubl.



28

publ. Cyneas: qvi pro senilis suæ Prudentiæ & judicii dexteritate, fructum obitarum suarum Legationum, qvæ in Prudentia civili consistit, Principi tum temporis Juventutis Hispanicæ, liberali manu communicans, IDEAM PRINCIPIS CHRISTIANO-POLITICI, CI Symbolis expressam, Hispanico Idiomate submissè dedicavit. Quem aureum Libellum Bruxellenses primùm, Amstelodamenses deinde, *Amstelod. Edit.* ne solis Hispaniæ manibus tereretur, communi Latini ser- 165 i. monis Idiomate versum publicârunt. In hoc elaboratisimo Symbolicorum Emblematum Florilegio, illo, qvod est in numero XIX, præprimis delectatus fui, ubi Sceptrum Lampadi vel Faculæ comparat, cum Lemmate: **VICISSIM TRADITUR!** Hoc ipsum Originem ex Ludis Vulcani & Promethei traxisse videtur, in qvibus diversi certis constituti locis in hunc sese modum exercuerunt; Prodibat pri- *Lampadephoria* illud Festum sive certamen appellatur. *vid. Nat. Com. Mythol. L.* mus accensam facem manu præferens, qvam deinde por- *IV. c. VI. p. 328.* riebat secundo, tum iste tertio, & sic deinceps de manu in manum. Unde natum Proverbium: *Cursu Lampadatrado;* *Meurs. Græcia Fe-* de iis dici solitum, qvæ tanquam per successionem ab uno *riata Lib. V.* ad alios transeunt; qvô sensu Poëta (*juxta Phavorinum.* *p. 185.* apud A. Gellium) ingenio & facundiâ præcellens, Lucretius cecinit:

Et qvæsi cursores Vitai lampada tradunt.

Qvod à Philosophorum Numine, Platone, mutuatus, cum svadendo Hominibus naturæ propagationem: eam necef- *L. II. v. 77.* *Plato L. I. de Re publ. initio.* sariam esse ait: ut vitam, qvam ipsi à majoribus accepis- sent, vicissim ceu tædam ardenter posteris tradant.

Ecqvid verò aliud est Sceptrum Scholasticum, qvam ejusmodi facula, qvæ ab uno successore transit ad alium? Vix qvadrimestre spatium præteriit, cùm hæc Lampas Scho- lica volente & vocante Nobilissimo Amplissimoq; hujus

*In Chron. Freib.
Part. I. Cap. IX.
p. 286. seqq.*

2
inclusæ Urbis Patriæ Senatu à Dn. Antecessore, Hodie-Pro-tomysta ad D. Nicolai dignissimo, mihi traderetur, qvam integro qvinquenniō antè acceperat à M. DAVIDE QVELMAL-TZIO, b. m. cuius Antecessores ab A. C. cl^o I^o XIV. usq; ad A. C. cl^o I^o LII. (annotante Viro Excellentissimo Dn. D. ANDREA MOLLERO, olim-Præceptore, nunc-Patrono fave-n-tissimo) hi fuerunt:

- I. JOHANNES RHAGIUS, Æsticampianus Lusatus, Rector III. Ann. Desit vivere P. P. Witebergæ prid. Calend. Junii A.C. cl^o I^o XX. Ætatis An. LX.
- II. M. PETRUS MOSELLANUS, Protegensis Trevir, Rector II. Ann. P.P. Lipsiæ mortuus A.C. cl^o I^o XXIV. d. XIX. Apri-lis, ætat. an. XXXI.
- III. M. JACOBUS SOBIUS, Coloniensis.
- IV. RICHARDUS SBRULIUS, Foroliviensis.
- V. M. N. Lintacher.
- VI. M. N. Bachul.
- VII. M. N. Ottenbach.
- VIII. M. N. Hirschberger.
- IX. M. JOHANNES RIVIUS, Atthendoriensis Westpha-lus, Rector III. ann. Assessor Consistorii Elector. & Illustris Scholæ Inspector Misenaæ vitæ concessit ipsis Calend. Januar. A.C. cl^o I^o LIII.
- X. M. ADAMUS SIBERUS, Cygnœus, Rector Freib. IV. Ann. Finem vitæ fecit Rector Illustr. Scholæ Grimmensis a. d. XXIV. Septembr. A.S. cl^o I^o LXXXIV. ætat. ann. LXIX.
- XI. M. VALENTINUS APELLES, Gubinensis Lusatus. Qui cùm Scholæ XXXVI ann. præfuiisset, A.C. cl^o I^o LXXXI. ipsis Calend. Sextil. Æt. ann. LXIX. mortalis esse desiit.
- XII. M. FRIEDERICUS ZOERLERUS, Kittingensis Francus, Rector ann. V. è vita abiit d. XXXI. Jan. A.S. cl^o I^o LXXXVII. ann. ætat. LXV.

XIII.

*Vid. M. Michael
Hempeli Oratio
de scholis. Lips.
1587.*

3 289

XIII. M. MICHAEL HEMPEL/Freibergensis, Rector ann.

XVII. Excessit ætat. an. LXXIIX. a.d. III. Jan. A.S. cIc Ic XI.

XIV. M. JOHANNES SCHELLENBERGIUS, Grimmensis, in statione per XXXIX. ann constans mundo vale-dixit A.C. cIc Ic XLII. d. XXIII. Maji, ætat. ann. LXXVII.

XV. M. DAVID QVELMALTZIUS, Freibergensis, Rector X. ann. Beatè obiit A.C. cIc Ic LII, d. XXIX. Januarii, ætat. ann. XXXVI.

XVI OTTO BENEVVITZ, alias APIANUS, Freibergensis, Rector (uti supra dictum) ann. V.

Hi Eruditionis & meritorum laude dignissimi Viri tædâ ardente sui officii instructi, cursum & Vitæ & Famæ ita produxerunt, felicitante summo Numine, ut apud BONOS & CANDIDOS qvosvis adhuc Lampadum instar circumfulgere videantur. Horum Virorum- antecessorum vestigia, B.C.D. pressè legere annitar, & cum legitimè-oblata Face vitæ meæ Scholasticæ curriculum (qvoad DEO & Patronis placuerit!) pro virili strenuus decurram. Lucentem hanc accepi nuper; Eandemq; auxilio divinô fretus, novis auctam & collustratam radiis, aliquando Successori porrígam. A DEO & Magistratu oblata mihi est, iisdem qvoq; olim restituenda erit. Dum verò Facem accensam manu, meis meæ fidei commissis Discipulis, præfero, unicum hoc votum mihi erit, ut & hi optimæ laudis scintillas emittant, ac crescentibus annis longè lateq;, per Eruditionem solidam & bonos mores, radios, ardentium tædarum instar, diffundant. Ipsi eqvidem sævisimi Vitiorum turbines, undiq; erumpentes, virtutum faculas non raro in Juventute nostra extingvere moliuntur; Verum, si sursum erectæ sunt Juvenum bona mentes, flamma Virtutum clarius puriorq; evadet. Et hæ Virtutes, qvæ cum ipsa ætate puerili incre-

A 3 menta



290

4

menta capiunt, non aliis præstant solūm, sed, (qvod mirandum!) etiam sibi-ipsis. Utinam verò non crescerent paulatim cum mundi ætate affectus juventutis pravi & vitiosi! Hi in Filiis male-educatis hoc seculō veneno haud multò sunt absimiles, qvod ubi semel ad cordis interiora pervaferit, nullum postea pallori relicto supereft remedium. Verùm de hac materia plura forsan ALIO DIE! Nunc à longiori diverticulo tandem in lineam me recipiens causam hujus Scriptionis addo. Omnibus Literatis, & qvi primis tantum Labris Antiquitatum cortices degustarunt, constat, qvòd inter XII. Anni politici menses, qvos primùm descripsit Successor Romuli, Numa Pompilius, faculæ in morem emineant ultimus & primus Anni (Decembrem & Januarium indigo) ob Sacra inibi à Romanis, rerum Dominis, olim peracta. Nimirum mense Decembri magnâ libertate celebrabantur *Saturnalia*; Qvâ Domini servis convivia exhibebant, iisdemq;, positis togis, & in earum loco, Synthesi adsumptâ, administrabant, in memoriam aureæ, sub antiquissimo felicissimoq; Rege Saturno, ætatis, qvâ omnium rerum æqualitas gravia ista servitia nesciebat.

Mensis autem *Januarius* sacer erat & *Annae-Perannaæ* Deæ, & ipsi *Jano*. Initio sacrificatum ibant *Annae-Perannaæ*. Hujus Deæ festo die promiscua plebs per prata, ad ripam Tiberis, fusa, cum Conjuge qvisq; suâ procubuit, & ut *annare-perannareq;* commodè lueret, Nestoris ac Sibyllæ annos simul qvisq; exciperet, precati sunt. Qvos ritu Sulmonensis Poëta his notat versiculis:

Idibus est *Annae-Festum geniale-Perannæ*,
Non procul à Ripis, advena Tibri, tuis.
Plebs venit: ac virides passim disjecta per herbas
Potat: & accumbit cum Pare qvisq; sua...
Et paulò post: vino-

vinoq; calent, Annosq; precantur,
Qvot sumunt Cyathos, ad numerumq; bibunt.
Invenies illic, qvi Nestoris ebibat annos,
Qvæ fit per Calices facta Sibylla suos.

Etsi verò hic Honor Invocationis *Annæ-Perannæ* habitus non esset vialis & aspernabilis: Ei tamen cultus Jani præferebatur. *Janum* enim in omnibus sacrificiis & precatiō- *Cit. L. I. de Natu-*
nibus primū invocatum, eumq; cæteris Diis, adeoq; ipsi *ra Deorum.*
Jovi præponi consueisse, in Antiquitatum Archivis reperi-
mus. Nos, omissis Gentilium superstitionibus, & his anili-
um rerum deliramentis, majore quadam solemnitate colen-
dos esse putamus hos Menses: *Decembrem* ob Sanctissima
Christi-Domini & Salvatoris optimi Genethlia, ex instituto
occidentalis Ecclesiæ laudabili. Januarium ob Calendas an- *Buch. Comment.*
ni auspices, votorum nuncupandorum Strenarumq; gratiâ
celebres; qvin & ob sanctam & venerabilem Lucem, qvâ In-
fanti-Regi ultimus prostratus est Oriens; Qvam Festivitatem
Ecclesiæ priscae Dd. Epiphaniorum nomine insignire volue-
runt. Denominationis rationes prolixè recenset Matthias
Martinius, & Rabanus Maurus, Moguntinensis Ecclesiæ olim- *Mart. Lexicon*
Archiepiscopus; ad quorum Scripta talium rerum cupidos *Philologicum. Ra-*
dimitimus Lectores. Atq; horum Festorum sacra Epimetra, *banus de Institut.*
JESU favente, ad crastinum Diei, quanquam post Festum, *Clericor. Lit. 1.2.b*
uti pervulgatum habet adagium, cum nostris Discipulis cele- *Cap. XXXII,*
braturi sumus.

Vos autem, VIRI, MAGNI, CLARI, DOCTI, PATRONI,
FAUTORES, AMICI, breviori hoc Programmate invitamus, ut, si
Vestro commodo fieri posse, Cras sub Hor. II X matutinam ope-
ras nostras invitare, & Actum hunc Declamatorum honorifica &
præsentia frequentia collustrare dignemini. Nos, quamvis pro tam
insigni favore & honore, quo Musas nostras mactatis, condignam
referre gratiam nulli valeamus; annitemur tamen pro nostra virili,
ut

93
216. 596
ut obseruantiae & Officiorum promptitudinem VOBIS reapse demonstremus. P.P. FREIBERGÆ a. d. XII Calend. FEBRUAR, ANNO à Nativitate Redemptoris clœ loc LIIX.

M. NICOLAUS GREFIUS, Freib.
Lycéi Patr. RECTOR.

ORDO DECLAMANTIUM & RECITANTIUM

HIC EST:

I. Exorditurus: JOHANNES ERNESTUS à KNOCHEN, Eques Misnicus, præmissâ Oratiuncula intimatoriâ, Auditorum benevolentiam captabit.

- II. Disserturi: 1. BALTHASAR JORDAN, Camentio-Lusat. in sermone ligato, de dulcissimi Salvatoris Nativitate. 2. SAMUEL KILMANNUS, Freibergensis Herm. de Strenarum origine. 3. CHRISTOPHORUS Lehmann/Bischoffsverd. Misnicus de Strena mystica, nomine JESU. 4. JOHAN. CHRISTOPHORUS HORN/Freiberg. de Magis ad cunas Salvatoris festinantibus. 5. DANIEL GEISLERUS, Pretzschend. Misnicus, de Donis Magorum mysticis, Latinè. 6. MICHAEL Spieß/Freibergensis, de cantico Angelorum doxologico, Germanicè. } in sermone soluto. in sermone ligato.

III. Recitaturi: Hymnum Latinum Bernhardi de Nomine JESU:

1. CASPAR Rothe/ } Freibergenses.
2. ANDREAS Richter/ }
3. SAMUEL Richter/Freiberg. Germanicum, Carmen de Amore JESU.

IV. Gratias acturus DEO & Auditorio:

JOHAN. HEINRICUS Großmann/
Galento-Misnicus.

F I N I S.

m. c.

1077

h. 101, 1.

(X2019422)

To Redo

QVOD JESUS BENE VOR
ACTUM DECLAMA
IN LYCEO FREIBER
HABENDUM
INDICIT
RECTOR.

Stanno Beutheriano.

32

T

